



Oratio, qua an expediat reipublicae medicinam facientium opera expenditur

<https://hdl.handle.net/1874/9842>

* * * *

— Credo igitur consulendos esse medicos, sapientes,
qui temere nihil faciant, qui de remediis suis ni-
mium non sperent, qui ad praescribenda medicamina
non sint aequo promtores — hisque esse obsequendum.

MALEBRANCHE de inqu. ver. Illustr. ad L. III.

C E L S I S S I M O A C S E R E N I S S I M O

A R A V S I O N I S E T N A S S A V I A E

P R I N C I P I

G V I L H E L M O Q V I N T O

F O E D E R A T A R V M B E L G I I C I V I T A T V M

G V B E R N A T O R I H E R E D I T A R I O

A C B E L L I C A E R E I I M P E R A T O R I

T E R R A M A R I Q V E S V P R E M O ,

R E L I Q V A .

C V R A T O R I

A C A D E M I A E G E L R O - Z V T P H A N I C A E

M A G N I F I C E N T I S S I M O .

C E T E R I S Q V E

PERILLVSTRIBVS AC PRAEPOTENTIBVS

EIVSDEM ACADEMIAE
CVRATORIBVS;
D. FRANCISCO GODARDO
LIB. BARONI A LIJNDEN

DOMINO IN HEMMEN ET BLITTERSWIJK,
BVRGGRAVIO IVDICI ET AGGERVM IN DI-
TIONE NEOMAGENSI PRAEFECTO. ETC. ETC.
ETC.

D. IACOBO NICOLAO
VAN DEN STEEN

OMMERAE ET WAIJENSTEINII DOMINO, CA-
MERAЕ RATIONVM DVCATVS GELRIAЕ ET
COMITATVS ZVTPHANIAЕ CONSILIARIO, TIE-
LANAE CIVITATIS CONSVLI. ETC. ETC. ETC.

D. IACOBO ADOLPHO LIB.
BARONI AB HEECKEREN

DOMINO IN ENGHVIZEN ET BEVRSE, CAME-
RAЕ RATIONVM DVCATVS GELRIAЕ ET CO-
MITATVS ZVTPHANIAЕ CONSILIARIO. ETC.
ETC. ETC.

D. ER.

**D. ERNESTO VAN LÖBEN-
SELS**

I. V. D. DOMINO IN SPAENSWAERD, CIVITATIS ZVTPHANIENSIS CONSVLI, SVPREMO ORDINVM BELGII CONSESSVI ADSCRIPTO. ETC. ETC. ETC.

**D. ANDREAE LIB. BARONI
SCHIMMELPENNINCK
VAN DER OYE**

VTRIVSQVE POLLAE DOMINO, TETRARCHIAE VELAVICAE NEC NON DYNASTIAE LOËNSIS SATRAPAE, COLLEGII PRAEPOTENTIVM TETRARCHIAE VELAVICAE DEPVTATORVM ORDINVM PRAESIDI. ETC. ETC. ETC.

**D. HERIBERTO VAN
WESTERVELT**

I. V. D. DOMINO IN ESSENVRG, CIVITATIS HARDERVICENAE CONSVLI, IUDICII VENATCRII CONSILIARIO. ETC. ETC. ETC.

NEC NON

VIRO AMPLISSIMO CONSULTISSIMO

D. ARNOLDO ESSENIO

I. V. D. CIVITATIS BOMMELIENSIS CONSVLI,
REDITVVM (VVLGO CONVOTEN EN LICEN-
TEN) QVAESTORI, SCABINO ZVILICHEMensi,
ILLVSTRISSIMIS ACADEMIAE CVRATORIBVS
AB ACTIS. ETC. ETC. ETC.

ORATIONEM HANC ADITIALEM

IPSORVM AVSPICIIS

HABITAM ET IN LVCEM EDI IVSSAM

ANIMO VENERABVndo

SACRAVIT

A V C T O R.

MATTHIAE VAN GEUNS
ORATIO IN AVGVRALIS,
AN EXPEDIAT REIPVBLI-
CAE MEDICINAM FACI-
ENTIVM OPERA
EXPENDITVR.

PERILLVSTRES AC PRAEPOTENTES ACADE-
MIAE GELRO-ZVTPHANICAE CVRATORES;
QVIQVE INCLITO HORVM COLLEGIO AB
ACTIS ET SECRETIS ES, VIR AMPLISSIME.
MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR.
CIVITATIS HARDERVICENAE CONSVLES ET
SENATORES, ET QVI HIS A TABVLIS ES;
VIRI AMPLISSIMI.

A

ACA-

2 MATTHIAE VAN GEUNS

ACADEMICARVM DOCTRINARVM PROFES-
SORES, VIRI CELEBERRIMI, COLLEGAE
HONORATISSIMI.

RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAECONES II-
DEMQUE ECCLESIAE PASTORES FIDELIS-
SIMI, VIRI MVLTVM VENERANDI.

DOCTORVM HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
CONSPICVI VIRI, SVA QVILIBET DISCIP-
LINA PERITISSIMI.

GYMNASII NASSAVICO-VELAVICI MODERA-
TORES DOCTISSIMI, PRVDENTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, MERITORVM, MVNERVM
VEL NATALIVM SPLENDORE NOBILISSI-
MI; OMNIS ORDINIS AVDITORES ACCE-
PTISSIMI.

ACADEMICAEG VVENTVTIS EGREGIA CON-
CIO, SVCCRESCENS REI PVBLICAE SPES,
PARENTVM EXSPECTATIO, PRAECEPTO-
RVM CVRA.

Solenni et a majoribus accepto ritu, auspicatus publicam in bonarum litterarum hac Universitate docendae Medicinae provinciam; ut fausto id fiat omne cedatque porro feliciter, divinam, quae humanas res regit et sapienter moderatur, Providentiam toto pectore veneror!

Quodsi vero splendida horum auspiciorum solennitas, si pro concione dicendi insueta mihi necessitas verecunda oratorem nunc impedit haesitatione; id Vos non miraturos Auditores, neque, pro ea qua estis humanitate, versuros vitio, satis equidem confido.

Quamvis enim ad juvenilem non adeo provocare possim imperitiam: quo tamen paullo maturior aetas me forte ditaverit rerum usu, non is est qui publicum exornet doctorem, oratoremve fingat et commendet spectatissimae eruditiaeque auditorum coronae.

Hominem enim conspicitis, qui suam qualcumque doctrinam ac peritiam investigandis curandisque machinae hujus nostrae vitiis totam impendere, qui utilitati aegrotantium privatae (sed quantum saepe a splendido gloriolae theatro remotae!) integrum se tradere, atque adeo ab

ambitionis litterariae stimulis longe desuescere, studiorum et operaे suae maxima momenta diu debuit reputare. Hunc videtis, e suo agendi circulo, e turbulentō eoque per multorum annorum seriēm prorsus non interrupto medicinam faciendi usu, dicam an servitio, in publicum doctrinarum theatrum inopinato productum, atque in eloquentiae hoc suggestu constitutum, ut, pro novae personae agendae dignitate ratio neque, aures vestras idoneo sermone demulceat.

Quae si quid valeant, ad conciliandam vestram recenti oratori indulgentiam, mihiq[ue] adeo animū addendum: ne vel ista tamen ratione memet me sustentaturum sentio.

Occurrit enim illico et percellit animū impensa Academiae Maecenatum, qua in hunc locum elicere me voluere, munificentia; occurrit insigne hujus Sacrarii Antistitium, hospitem me suum in ordinem et antiquae, immo Geltriae, fidei amicitiam excipiendi studium; occurrit plurimorum de me meisque bene merendi animus. Quae quidem res tantum valuerē, ut, cum dulcissima patriae arva aegre modo relinquebamus, ipsam fere patriam jam redinvenisse hic nobis simus visi.

Haec autem omnia, quo benigniorem indicant

cant Vestrum de rebus meis opinionem; eo gravius profecto officium mihi imponere, probe sentio: cui cum vel mediocriter satisfacere arduum sit; exspectationem illam implere longe extra vires meas est positum.

Verum enim vero quum cursum reflectere, quantumvis perturbato, jam non licet: id unicum mihi superesse video, ut, sine longiori ambagum taedio, quid vires valeant experiar, quaeramque periclitando salutem. Juvet quoque audacem fortuna; juvent aures vestræ atque animi benigni; quos, dum facundiae dotibus mihi conciliare nequeo, brevitate saltim orationis et materiae dignitate allicere conabor.

Etenim reputanti apud animum et haerenti aliquamdiu mihi, quodnam potissimum ex vasta medicinalium rerum copia hac opportunitate selligerein argumentum, neque obfoletum, neque Vobis, omnis ordinis AA., ingratum; haud abs te tandem visum est, in extremo artis nostræ limine subsistere, indeque ipsius medicinae in civitate excolendae quaedam momenta vobiscum penfitare.

Scilicet quod disciplinis artibusque omnibus accidit, ut pro captu et ingenio hominum sua habeant fata, dumque extolluntur ab his, deprimantur e contrario ab aliis; ea quoque famae vicissitudine in primis Medicina ab omni aevi est agitata.

Fuere enim semper inter homines, qui, optimo corporis habitu et robore praediti, sanitate tamquam suo quodam et domestico privilegio securi fruerentur; qui que, hac sua forte beati, (si modo qui sua non norunt bona beatos dicere liceat) non nisi aegra mente effictas credant aliorum de morbis, sibi prorsus incognitis, querelas; ipsa enim mala uti pro imaginariis habent: ita quoque artem opitulanten contemnunt et rident, tamquam futilem atque inanem.

Fuere alii, qui, quod tali sorte non sint beati, sed valetudine laborent infirmiori vel prorsus fracta, medicinae ope usi quandoque sunt: hanc vero quod minus secundam experti fuerint; sive id acciderit propria aegri culpa, qualis certe in immorigeris frequens est; sive dirae et nimium austuae labis vi; sive abscondito morbi ingenio; sive multifariis denique medicacionum ineptiis: hinc in omnem medicinam irrita-

ritati, impotentiam ipsius artis ejusque inutilitatem, debili vindicta, crepant.

Alii, acri suo sed difficile ingenio indulgentes, dum sapere supra vulgus sibi videntur, medicinam, veteri objurgatione, prorsus conjecturalem traducunt, artisque nomine vix dignam; utpote quae, abditarum et latentium ~~causarum~~ notitia vix instructa, de morbi natura et remediiorum efficacia prorsus incerta sit; quae praeterea aegrum non tantum inutili opera totum obruat, verum etiam ipsius animi vim ac robur turpiter atterat.

Praeter quos medicorum causae adversarios, vix memoratu digni sunt levioris illi armaturae milites, qui, otio suo abundantes et a seria rerum consideratione prorsus alieni, petulanti joco res quasvis exagitare levique ingenio ludere fatagunt; hinc in medicos quoque, captata quavis occasione, inepto ludibrio invehuntur: quid rideant profecto non intelligentes. Etenim aut mea me fefellit experientia, aut heroes hos inter primos videritis, qui, dum vel levior ipsos terreat morbi species, supplices accedant ad artis opem, medicorum consiliis tanta religione, dum dolent, obtemperaturi, ut nemo fidelius.

Prouti ergo diversa in his criminatioibus sunt rationum momenta; ita expendere omnia neque nostri esse debet instituti, neque intacta jam pridem dimissa sunt plurima a variis Medicinae vindicibus egregiis, qui artis sibi multipli ci fructu exultaे praestantiam et firmitudinem amplissimis quoque praedicavere encomiis.

Verum enim vero, cum nihilominus adhuc dum videas alios, neque nullius auctoratis viros, qui, aliis aliisque inducti rationibus, medicantium operam despiceret pergent, tamquam fallacem, ancipitem, imo civibus pericolosam: hinc in negotio, in quo certi quid constituisse publicae rei maximopere interest, interest omnium a medentium ope salutem olim exspectantium, interest nostrum qui docendae et descendae medicinae navamus operam; industriadam hac hora haud ineptam a me collocatum iri judicabitis AA., si hanc mihi ipse quaestio nem expediendam posuerim, AN RÉVERA EXPEDIAT REIPVBLICAE MEDICINAM FACIENTIVM OPERA.

Etenim id potissimum largiri nos oportet; quod Medicinae, quamvis natura sua praestanti et salutiferae, totum quantum in civitate decedat pretium, si per facientium quorumcunque

que vitia sinistre adhibeatur; quoniam, quod haud inficete regessit hodiernus obtrectator, non ipsam, si diis placet, medicam Artem, sed artem utcunque exercentes Artifices in auxilium vocare liceat civibus: quo tamen honestissimo nomine quam varia quam inepta ac superstitionis latuerit ac latescat medicantium turba, omnis tamen vulgo imponere egregie docta, id adeo est intelligentibus perspectum, ut mea non indigeat demonstratione. Hinc autem maxime tristis illa, ab antiquissimis temporibus, ipsi Medicinae contigisse videtur sors, ut acri non tantum irrisorum sale confricari, sed et philosophantium contemptu excipi saepissime meruerit; imo hinc subortam videre licet illam nobis propositam quaestionem: "an universae expediat rei publicae collecta ista medicinam tam probe quam sinistre facientium opera?

Quae adeoque, genuinis medicorum filiis molestia, neque humano generi honorifica, dubitandi materia non aptiori nobis quidem discuti posse videtur ordine; quam si primum sinceram medicare Artis naturam, ejusque inde ab origine constitutionem naturalem, levi delineaverimus penicillo; qua verae exhibita indole Medicinae, dein expendantur ea quae in artis usum, atque

operam illorum qui medicinam facere affectant, potuerint animadvertisse; unde tandem nostrae momenta quaestione idonea ratione dirimamus, eandemque pro virili solvamus.

Ergo, ad sui conservationem et noxarum a corpore depulsionem cuncta animalia instigans, natura, bruta quidem animantia in ea quae sibi sint salutaria appetitu suo trahi, et ultiro quasi ferri, voluit; concessso autem homini rationis usu, huic, discendi et inveniendi ea quae sanitati conducant, reliquit necessitatem; ex qua etiam praestantioris ingenii exercitatio enasceretur. Multas praeterea res, non tantum ad vitam a lendam necessarias, sed et diversissimas ad reparandam sanitatem utiles, liberali manu per totam tellurem dispersit benigna mater.

Ex quibus intelligitur, prouti medelam valitudini quaerere natura suadet; ita et ad inveniendum a natura parata esse auxilia: atque adeo a rerum origine, cum ipsis morbis, ortam videri medicinam: "haec enim, (quod cultissimi Latinorum Medici verbis efferre liceat) nusquam quidem non est, siquidem etiam im-,, peritissimae gentes herbas aliaque prompta in „ auxi-

„ auxilium vulnerum morborumque noverunt;
 „ ut enim alimenta sanis corporibus Agricultu-
 „ ra, sic sanitatem aegris Medicina promittit." (a)

Verum, observatione, casu, exemplo nata et analogiae ratione aucta, Medicina lentis crevit initiiis. Namque, simpliciori vitae genere utentes, primaevi mortales, et simplicem victum suo sibi labore parantes, roboris et sanitatis privilegiis eximiis gavisos fuisse oportet, "estque (eodem judice) " verisimile, inter non multa auxilia adversae valetudinis, plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia neque luxuria vitiarunt. Siquidem haec duo corpora, prius in Graecia, deinde apud Romanos, affixerunt. (a)

Itaque primum vulgaris valde fuit Medicina, apertis praecipue morbis et laesioribus utilem ferens opem.

Donec, depereunte in dies pristina gentis humanae simplicitate, et auctis, cum ipsa societatis cultura, hominum necessitatibus et valetudinum causis, morborum fomes paullatim exarserit, atque doctioris medicinae opem reddiderit magis et magis exoptabilem.

B 2

Hic

(a) Celsus de Medicina, Lib. I. Praef.

Hic fuit omni aevo, eritque porro, apud omnes populos, medicae artis ortus et progressus.

Inter priscas enim gentes, de quibus historiae monumenta supersunt, AEgyptii, prouti plurimum artium, ita Medicinae exercitio potissimum inclaruisse perhibentur; constitutis ex sacerdotum ordine medicis, qui in classes, pro morborum diversitate, divisi, medicinam sacro ritu, et ex lege scripta facerent (*b*). Sinenses quoque, antiquam illam gentem, antiquissimis regibus suis medicinae inventionem vindicare novimus, et pulsus arteriarum dijudicandi subtilissimam illam, qua excellunt, scientiam. (*c*)

Quae cum satis ostendant dignitatem et utilitatem, quam medendi peritia tribuerit remota vetustas: apud Graecos tamen magis perfecta et artis formam nacta videtur medicina.

Scilicet ab his Apollini, tanquam inventori et numini tutelari, vindicata medicina, ab AEsculapio, dei hujus filio, et arte sua divinos quoque honores nacto, insigni laude dicitur exculta (*d*); ex-

(*b*) Instar omnium conf. Schulzii *Hist. Med. Per. I. Sect. I.*
C. 3.

(*c*) Id. C. 5. Aliisque.

(*d*) Cels. *ibid. Plato de Republ. Libr. III.*

exstructis in hujus honorem templis, Epidauri maxime, sed et per totam Graeciam per multis. Post quem, in Asclepiadea gente haereditario quasi jure diu haesit medicina, sacris ritibus celebrata; dum, utili instituto, curationum exempla, tabulis inscripta, posteritatis memoriae in templis consecrabantur. Sed dein, meliori sorte, liberata a superstitionis impedimentis mendendi scientia, teste adhuc Celso, sapientiae pars haberi coepit, peritiam ejus acquirentibus multis ex sapientiae professoribus, quorum clarissimos nominat Pythagoram, Empedoclem, Democritum (*e*).

Quo tempore, seculo scilicet ante Christum natum quinto, fausto omne eluxit clarissimum illud Hippocratis ingenium, viri arte et scientia vere insignis. Is enim, cum utili praecedentium seculorum scientia et experientia dives esset, diligenti praeterea sua et frequentissima morborum observatione, cum discipulorum per omnem Graeciam emissorum experientia comparata, adeo sapiebat, ut corpus verissimae, et a philosophicis speculationibus separatae, Medi-

(*e*) Cels. *I. c.* inferius.

cinae concinnaverit, omnibusque fundaverit seculis.

Fuit autem tanta viri meritissimi apud populares aestimatio, ut artis hunc conditorem et statorem suis annumerasse in magna semper gloriae suae parte reputaverint Graeci. Neque co-aetaneorum tantum gratiam sibi conciliavit Hippocrates; sed et omnia tulit posteriorum, feretque semper, suffragia.

Ad cuius deinde exemplum, inter Graecos nobis cognitos, arti perficiendae operam laudissimam navavit Aretaeus Cappadox, ut et philosophicum illud Cl. Galeni ingenium, in eo tamen ab Hippocratico valde diversum, quod speculationi, ex Aristotelica doctrina natae, nimium quantum indulserit. Quem porro Oribasius, Aëtius, Alex. Trallianus et Paull. Aegineta studiose sunt secuti; secuta est per plurima secula, sed Galeni subtilitatibus nimium dedita, Medicorum scholasticorum turba; ad quos et Arabicos scriptores plerosque referre oportet.

Inter Romanos denique, ut ad horum tempora regrediamur, vulgarem diu medicinae usum persistisse, vel ex eo liquet, quod Catonem Plinius, in Graecos eorumque Medicos valde iniquum, sibi suisque adhuc medicinam ipsum

ipsum fecisse tradat (f). Sed posthac et inter Romanos ad Graecorum peritiam Ars perfecta fuit, exponente eam egregie Latinorum isto Hippocrate, Aur. Corn. Celso; quin etiam post hunc Caelio Aureliano, et Scribonio quoque Largo.

Quonam praeterea beneficio a Medicis rempublicam affectam censuerint Romani, ex iis intelligitur, quae de jure civitatis in ipsos collato, sub Jul. Caesare; de immunitate ab oneribus publicis, et de jure annuli, sub Augusto; de dignitate, emolumentis, et privilegiis ingentibus Archiatrorum, sub Nerone, et sequentibus Imperatoribus, memoriae sunt prodita (g).

Quibus omnibus quid senior aetas, renascen-
tibus feliciter, post medii aevi barbariem, litteris, addiderit, ad augendam medicae artis praestantiam, si pro rei dignitate referrem, nimium nunc evagaretur oratio. Neque, quae fuerint egregiorum, praecedente et nostro seculo, Medicinae verioris restauratorum, etiam nunc su-

(f) Plin. *Hist. Nat. Libr. XXIX.* init.

(g) In primis vid. D. Vink *Amoen. Phil. med. Seq. II.*
C. 5, 6.

superstitum, in artem merita, quemquam adeo latet, ut meo indigere possint praeconio.

Ita vero non a fingente ingenio creata et ad speciem tantummodo ornata fuit medendi scientia, volubilis nec aevum latura, sed ad ipsam agentem naturam, Hippocratica lege, fideliter expressa, naturae erit coæva.

Atque haec jam sufficere putaverim, ut, cognitis Medicinae origine naturali, incrementisque, per virorum arte et virtute excellentium labores, tot seculorum decursu acquisitis, genuina et salutifera agnoscatur indoles artis, omnium certe, natura sua, momentosissimae. Quae enim pretiosissimae valetudini tum conservandæ tum reparandæ, tantis subsidiis, incumbit medendi scientia, eam profecto magni aestimare oportet omnes, quibus sana mens est, quiique, arctam hujus cum corporis valetudine necessitatem attendentes, pulchre intelligunt, quam nulla foret potioris hujus nostri partis in his terris beatitudo, sine recta et non violata corporis, domicilii sui et instrumenti, constitutione.

Neque profecto difficile foret AA:, stabilitam, hac ratione, Medicæ artis auctoritatem lu-

cu-

culentis praeterea confirmare multisque curationum exemplis, quibus salutiferam suam virtutem quotidie nobis certissime comprobat Medicina; sive haec graves et natura sua in exitium ducentes morbos, heroica vi, tempestive depellat; sive scienter subvertat, atteratque subtiliter, irrepentium malorum insidias; sive fractam, noxarum vehementia, valetudinem benefica quoque opera fulciat et leniat. Cujus salubris efficaciae felices (ut pauca modo attingam) morbi pleuritici, peripneumonici, colici, febrium vehementium, biliosae, soporosae, putridae, tum quoque hecūiae, porro obstructionum, cachexiarum, hydroperis, luis teterimae, aliorumque magnorum morborum medications verissima mihi praeberent argumenta: nisi, ita in medicae doctrinae campum nimis abripiendus, maximopere vererer, ne aures vestras, o. o. AA., horridis vocabulis, animos vero tristi morborum contemplatione imprudens offenderem.

Itaque potius, ex instituto nostro, orationem nunc deflectamus in difficultates praecipuas, quibus Medicinae in republica utilitatem deprimere indigitavimus obtrectatores hos, quos acutius cernere credatis.

Illi vero, qui ipsam artem medicam per se incertam plane et conjecturalem clamitant, nos nunc quidem diu morari non poterunt. Quum enim hi ex disputatis quoque redargui possint, sitque in ipsos satis ab aliis animadversum; addere brevibus hic sufficiat: quam ad ipsam veritatem naturae ejusque actiones et mutationes, tanto opere tantaque felicitate, conditam atque formatam ostendimus, genuinam medendi scientiam prorsus incertam profecto esse non posse, dum firmae sint ac sibi constent naturae leges et actiones; neque inepte conjecturalem, nisi positos hominum imbecillitati, in perspicienda rerum natura, ubique limites transsiliverit humana temeritas; quod vitio hominum fieri, non artis, quilibet sponte sua intelligit.

Sed Artem, sua licet natura sic satis laudabilem et firmam, illaetabilem tamen effectum frequentissime praestare, nunc maxime objicitur; idque dupli calamitatum genere: cum, detimento aegrotantium circa quos ars versatur, quandoquidem saepe curet non curandos; vel quam curando utilitatem forte adferat corpori, eam detrahant animo aegroti: tum, potissimum vitio vel male docti, vel temerarii, vel denique quo-

quovis modo peccantis Artificis; unde anceps et periculosa fiat ars ea utentibus. Qualibus difficultatum momentis actos hos nunc sequamur, qui in quaestione nostra, an reipublicae expediat medentium opera, non solent secundum medicos judicare.

Itaque, primo loco, si attendamus ad eas objectiones, quas ex ipsis aegris petitas indicavi; id potissimum hic urgeri invenimus: dari utique malorum plurimorum medelam vel nullam, vel mancam valde et imperfectam; cum nihilo minus impendenda his cura longa adeo et operosa sit, ut aegrum occupet totum et aliis rebus reddat inutilem; quumque praeterea, si vitam vel sic conservet Medicina, conservet eam dolorum et miseriarium plenam, humanitatis officiis nullis sufficientem, atque adeo prorsus inoptabilem.

Qua ratione jam inductum fuisse videmus insignem illum veteris aevi philosophum Platonem, cum in constituenda republica locum Medicis quidem non denegat, a fracta tamen et corrupta nimis valetudine tangenda et curanda ipsos prohibet; ne laborioso opere sustentetur vita, ipsis aegro onerosa, et, propagato insu-

per morbi contagio, fortasse aliis quoque nociva futura; cuius quidem rei, ipso referente, miserabile in Herodico quodam extiterat exemplum (*b*). A qua laudati philosophi sententia non multum quoque ab ludunt ea, quibus, nostra hac aetate, celebratissimus ille civis Genevensis singulare suum ingenium, et in medicinam facientes quoque difficile, exercuit. (*i*)

Verum, liberandae ab hac difficultate medicantium caussae hanc sufficere crediderim, AA., considerationem. Ad Medicos quidem non pertinere judicium, de utilitate ab aegris vel reipublicae vel sibi ipsis praestanda, neque datam illis optionem esse, alios curandi, alios autem tamquam inutiles relinquendi, vel potius (quod Paulaniae dicterium refert Plutarchus) "non lenitas putredini tradendi sed sepeliendi quanto-
cius" (*k*). Quod si vero, uti ceteros, ita hos quoque miserabiles sustentare medici prohiberentur; nonne, ob eandem rationem, publicae rei etiam magis interesset, tot alia protinus confici

(*b*) *de Republ.* L. III. pag. 441. lit. A. B. et p. 440. lit. C.
D. E. Edit. M. Ficini.

(*i*) J. J. Rousseau *Emile Livr. I.* p. m. 40-42.

(*k*) Plutarch. *Apophth. Lacon.* Cl.

fici telluris inutilia pondera, quot, corporis non tantum; sed animi potissimum et ingenii vitiis civitati verius reperiantur inimica et exitiosa?

Quo cum nihil statui possit imprudentius, absurdum hoc adversariorum argumentum penitus convelli sentietis, si praeterea vobiscum reputetis, quod haud raro observare licet: inutilem quam putabamus, ad desperata mala, medicorum operam, saepissime inopinatam tandem attulisse medelam, aegrosque, jam quasi conclamatos, ad meliorem ab iis revocatos esse valetudinem et vitae pristinam dulcedinem. Ex quo etiam evincitur, certam non esse semper de morbo insanibili judicationem.

Quibus rationibus vindicata satis utilitate et humanitate operae, quam curandae hominum valetudini, quantumvis miserabili, quin insanabili visae, impendunt Medici: dictis porro superaddere non attinet, quid in his sanctissima praecipiat religio.

Sed, compulsam a se in tam exiguum gyrum, medicorum operam Plato quoque magis coangustat, ad curandos tantummodo eos referens morbos, qui a caussa inevitabili producuntur, tum vulnera quoque et noxas extus illatas: ve-

rum, ex desidia, intemperantia et luxuria qui
orientur morbi, certe permulti, in hos; p^raes-
eunte AEsculapio, curam impendendam non es-
se, disputat. (*l*)

Quam quidem Medicinae facienda limitatio-
niem faciles accipiemus, si, qualem mente effin-
gimus et exoptamus, re ipsa videre contingeret
reipublicae statum, ab intemperantiae et molli-
tiae vitiis immunem; nunc vero, cum longe ab-
sit ab ea perfectione, neque hanc sperare lice-
at, nonne insignis crudelitatis specimen foret,
haud curasse quos sibi morbos contraxit, quam-
vis vitio suo, gens humana?

Praeter haec vero aliud, idemque gravius, in Ar-
tis opprobrium invenisse sibi videtur argumentum
civis Genovensis, in eo, quod si quam praestet
corpori curando utilitatem, deterat animo aegri
etiam majorem. Curam namque medicam timidi-
tatem creare, mollitem, habitum effoeminatum,
tristem malorum ac mortis speculationem, quibus
animi vis virtusque contundatur et frangatur, at-
que adeo excellens hominum natura extinguitur
penitus. (*m*)

Quae

(*l*) *de Rep.* L. III. pag. 440. lit. B.

(*m*) *Emile* L. I. p. 40.

Quae certe accusatio, si justa esset, atrocis
in rempublicam criminis ream ageret Medicinam.

Ast hic vestram ego fidem obtestor, AA.
optimi, si qui ex morbis aliquando feliciter e-
stis restituti; si qui minus plene, valetis tamen
utcunque; si qui, quae humani generis est fra-
gilitas, estis etiamnum valetudinarii et laborantes;
qui omnes, curam Medicam interea experti, idonei
mihi testes eritis et judices! Quid quaeso in his
animum fregerit, beatam mentis serenitatem tur-
baverit, tristi et terribili eventus speculatione
imperiverit: utrum auxiliantis Medicinae cogita-
tio; an ipsa aegritudinis sensatio? utrum sapiens
experti Medici cura, consilium, praesagium; an
indoctae mentis et quaevis mala temere pro-
spicientis sollicitudo?

Equidem aut fallor vehementer, aut Vos depres-
sum, fractumque, morbo et perpessionibus, ani-
mum erectiorem et firmiorem experti fuistis, au-
xilio, alloquo, praesentia Medici fidelis; qui-
que praesens solatium tulerat, absens desiderium
reliquit! Imo vero, in immedicabilibus etiam
analisi, lenimen haud exiguum animo adferre cre-
diderim cogitationem, non sua culpa neglecti artis
auxilii, neque adscitae sua sibi negligentia noxae.

Ve-

Verum enim vero, quibus ipsos aegros, natura sua meticulosos, angri et extenuari quandoque videmus, horribiles aegritudinum suarum speculationes, ex inepta medicarum rerum notitia natae, tristique imaginatione amplificatas, eas, cum Joa. Jac. Rossavio, ipsi medicinae vel medicis imputare velle, id certe iniquissimum foret! Quod enim de Philosophia dixit Verulanius, plenam hujus cognitionem optatissimae frugis esse, levem etiam abducere a vero; id de medendi scientia est omnium verissimum.

Scilicet, quae ex sedulo lustratis diversissimis illis, cum sanitatis et morborum, tum remediorum natura, caussis et effectibus, hisque diligenter inter se collatis, improbo labore, nec sine aliquo rerum usu demum acquiritur Medicinae utilis intelligentia: in hanc singulari curiositate trahi videimus homines istos, qui, dum valetudinarii vel revera sunt, vel esse sibi, ex levissima affectione, persuadent, dumque vivida praediti infesta quaevis imaginandi facultate, et mirum quantum suspiciosi, morborum impetu tentari se continuo sibi videntur, nihilque serio magis meditantur, quam morbos, medicationes, vel aegrotationum avertendarum cautions.

Ignorantes interea hi perquam necessaria illa
me-

medicae scientiae fundamenta, morborum et curationum solummodo narrationibus, e libris medicinalibus vel medicorum confortio avide hauſtis, mirifice quasi delectantur, has animo volvunt, his inhaerent, inventuri mox in se ipsis morborum similium species; quibus vel depellendis toti occupentur, vel, tanquam insanabilibus, scilicet, ita perturbentur, ut repositum hunc alta mente foveant tristitiae fomitem, difficillime profecto extinguendum.

Tali proinde ratione, quam poenitenda fiat inepta illa et inopportuna rerum medicinalium curiositas, et quam longe haec distet a vera multisque nominibus utili medicarum rerum peritia, vos satis jam perspicitis AA. Cumque istius quidem rei ultiro etiam se vobis frequentia offerunt exempla; ex meo uſu et observationibus addere his alia, eo minus est necessarium, quod haec quoque pertineant ad nimium illud vitae desiderium, ex quo homines bene multos mortem ſibi properare, luculenter demonstrantem, ex eadem hac cathedra, plurimi Vestrum, ante hos quinque annos, audiverunt cl. Decessorem, quem adhuc merito ſuo noſtra haec desiderat Academia, aestimatisimum mihi Oosterdykium.

D

Ita-

Itaque salva hactenus nostra res est AA., videturque inculpatae medentium operaे in republica utilitas, contra obtrectatorum impetum firmiter adhuc consistere.

Medicinam enim, natura sua beneficam et recte constitutam, reparanda non tantum sanitatem, sed sustentanda quoque aliorum valetudine laudabilem, atque existenti animi criminis falso insimulatam esse, videmur nobis nunc satis demonstrasse.

Peroratam ergo cum maxime censere possemus caussam, et arti triumphanti jam laeti acclamare:

"Te facimus Medicina deam, coeloque locamus,
Et nomen numenque tuum veneramur et opeim;"
nisi alterius generis adhuc difficultatem superesse, ex ante dictis tempestive reminisceremur.

Etsi enim praeclaram omnique modo salutiferaм esse liquido satis asseruimus Medicinam: eam tamen illaetabilem imo nocivam fieri, secundo loco, adhuc objici supra monuimus; atque id quidem eorum vitio qui artem hanc faciunt, eamve excercendam quavis ratione sibi sumunt. Neque enim artis in republica utilitati stabilendae

endae prorsus sufficere plenissime demonstratam ipsius, in se spectatae, salubritatem; quotiescumque ab expertis et rerum gnaris non administratur artificibus: cum artem, non nudam, sed excercentium opera applicatam in usum adhiberi manifestum sit. (n)

Neque dissimulare licet AA. gravius, quod postremae huic difficultati inesse maxime videatur, momentum.

Advertamus enim oculos ad densam illam eorum turbam, qui excercendi Medicinam non tantum auctoritatem, nec aequo tamen omnes jure, sunt adepti; sed et qui artem faciendi illegitimam sibi sumunt licentiam; vel denique qui, medicorum nomen haud gerentes, omen tamen habent, dum, amica scilicet consulendi specie, egregiis suis remediis, et ad miraculum probatis, importuni sunt laborantibus, non dimissurini si arte sua tentatos: quorum omnium certe tanta est in omni genere et sexu frequentia, ut infinitum medicantium numerum in proverbium abiisse, cuncti sciamus. Advertamus vero ani-

D 2

mum,

(n) J. J. Rousseau, loco supra allegato, p. 42.

mum, quoti etiam quique, vel ex probatissima istius legionis cohorte, scientiae et experientiae defectum vanitate et jaetantia compensare; prudentiam vero et modestiam (sapientis Medici virtutes illas eximias) audendi temeritate supple-re sustineant!

Atque adeo quidem indignemur stolidissimam mortalium levitatem, qua, observante jam Plinio, "in artium sola ista, qua de vita et sanitate (carissimis illis hominum pignoribus) agitur, eveniat, ut cuicunque, medicum se professo, statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus" (o): sed et doleamus tristissimas numerosi adeo in civitate populi vices, qui astutia irretitus turbatusque frequentia medicinam facere sibi fumentum, nec quibus se fidat scite intelligens, modestae optimorum AEsculapii filiorum sapientiae, temerariam promissorum operam facile praefert; simplicitatis vero suae poenas in propria luit pelle, vel, si forte felicitate evadat, tanto plures post se trahit in experimenti perniciem!

Do-

(o) *Hist. Nat. L. XXIX. C. 1.*

Dolenda enim vero, vel propter hoc unum, medendi professionis fors, facientium crimine et patientium credulitate adeo foedata, ut ea ratione gravior fiat de utilitate dubitatio! Id enim "natura sua" habere hanc professionem, egrie jam exposuit perspicacissimus ille Angliae Cancellarius, "ut, cum omnes aliae propemo. dum artes et scientiae virtute sua & functione, non successu aut opere, judicentur: haec nostra, aequa ac politica, virtutis suae vix certum et omnibus apertum edere possit indicium; sed, inquisissimo prorsus judicio, ab eventu praecipue honorem reportet aut decus — cum tamen vix quisquam intelligat, mortuo vel restituto aegroto, utrum res sit casus an consilii; — hinc fieri saepissime, ut impostura palmam, virtus censuram referat — fieri praeterea, ut morbi taediis, amicorum commendatione, spei fallacia, facile in medicis qualibuscumque fiduciam collocent homines, atque omni tempore medicali veriorum medicorum rivales fuerint, et de curatiōnum celebritate cum iisdem fere certarint." (p)

D 3

Quae

(p) Bacon de Verulam. *de Augment. scient.* L. IV. C. 2. p. m. 103, 104.

Quae cum ita ferat luctuosa humanarum rerum, nec facile mutanda, conditio: cogitemus tamen, si animi, de foedata adeo medicandi opera, dolor, si, de turpi humanae gentis credulitate, id ferat indignatio; cogitemus, inquam, qualis sit, inter eos qui adscito medentium titulo in vulgus splendent, versipellis illa circumforaneorum, histriionum, auroque fulgentium sed crimine infamium agyrtarum turba; et reperiemus profecto tales esse, qui, serii laboris pertaesfi, vitae deperditae animique virtute vacui, facilimo auram popularem captandi negotio, aegrotorum revera crumenae, sed eorundem insimul valetudini et vitae insidias struant; eo detestabiliores etiam et periculosoires apertis latronibus, quod hi, bonis exspoliandis unice intenti, vitae soleant parcere, vel, si non parcant, defensionis tamen et auxilii relinquant spem, quae nulla his superest, quorum malefici isti acquisivere sibi fiduciam (*q*); tales, qui, indignante jam C. Plinio secundo, " periculis nostris discunt, agunt, que experimenta per mortes, ut his tantum homines occidisse impunitas esse videatur summa;

(*q*) Conf. Tiffot avis au peuple sur sa santé ch. 35.

„ma; (r)“ tales denique, quorum errores et flagitia terram tegere et occultare, in proverbio est.

Cum vero sic magis palpabilis sit pernicies, quam titulo medicandi inferunt civitati humanitatis ista opprobria, societatis flagella, et medici nominis purgamenta: benignius tamen sentire solent plurimi de modesta, quam quoque indigitavimus, et benevolia illa medicandi prurigine, qua tot nimis officiosae mulierculae, amicae, et ex formularum medicinalium avita collectione, vel amica traditione, imo suis quoque mysteriis mirifice sapientes scoli, remediis et consiliis adesse vehementer amant iis qui vel minimum laborant; insigni profecto sua multitudine medicinam facientium numerum supra quam cogitari potest augentes. Etenim

”Fingunt se cuncti Medicos, idiota, sacerdos, Nasutus, nutrix, histrio, rasor, anus.“

Verum indoctus ille et insanus medicandi pruritus, utut videatur ex animo benevolo natus, est tamen revera discriminis, contagii, et inimicitiae plenissimus. Id quod faciles quoque largie-

giemini, AA., si, pro caussae gravitate, paullisper expenderitis: omne illud, quod medicamenti mereatur titulum, certain habere corpus nostrum alterandi, functiones ipsius, alias et diversas, incitandi, sopiendi, mutandi vim et efficaciam. Cum igitur morbus efficiatur, ex impeditis vel turbatis corporis ejusve partium functionibus aliis aliisve: hinc tum demum utilem esse appetet medicinae administrationem, cum determinatae et bene cognitae morbi naturae opponatur sapienter selectum et recte adhibitum, turbatas tantummodo functiones corrigens, remedium. Contra vero, si ingestum idem non inveniat in ipso corpore id cui efficacia sua est oppositum; tum, nequaquam correcto malo, illud etiam exacerbare poterit, imo dejicere eas, quae recte se habebant, functiones. Vnde profecto melius fore appareat, relicto potius soli naturae morbo, omni caruisse medicina, quam, non bene dignotae morbi naturae, talem adhibere, quae, quamquam amico animo data, dubium tamen, anceps, imo hostile revera evadat munus. Neque enim, vel iis qui Artis modice periti sunt, adeo semper facilem esse illam morborum naturae caussarumque dijivationem, hi optime perspiciunt, qui extus apparenti morborum similitudini diversas

et

et prorsus dissimiles saepe caussas subesse, intel-
ligunt; quarum indicia ex penitus perspecta ae-
groti sanique corporis oeconomia demum erui,
et tanquam genuina curationis fundamenta stabi-
liri possint. Vnde contigisse videmus, ut re-
ctam, ipsius morbi hujusque caussae, diagno-
si momentosissimam, et maximam, artis medi-
cae partem semper habuerint optimi quivis ar-
tis magistri.

E quibus omnibus denique ut efficiantur quae
ad obmotam, ultimo hoc loco, spectant difficultatem: reputate quaeso vobiscum, AA., formi-
dolosam istam eorum, qui ita medicinam facere
affectant, multitudinem; sed qui omnes, quantum-
vis temere, imprudenter, sinistre, flagitiose medi-
cam exerceant operam, inveniunt tamen, qui ipsis
se concredant et tradant; dum praeterea, talibus tur-
piter commista, iisdem saepe obscuratur, imo haud
raro prorsus ejicitur Medicorum genuina cohors!
Cogitemus, inquam, et subductis rationibus aesti-
memus, anne, quod civium saluti ex proborum,
sed pauciorum, opera laudabili accedere posset e-
molumentum, pereat ea ratione reipublicae totum;
cum longe etiam superetur a calamitatibus, quas
afferunt inepti illi et inhumani medicastrì, tur-

pesque tot medicae simias, veris utique medicis numero, vel apud populum auctoritate, superiores?

Egidem haud diffiteor, AA., maximopere me vereri, ne, hac ratione positam, quae orationi argumentum praebuit, quaestionem candidae et ex animo soluturis, aqua tandem haereat!

Etenim cum tanta sit ipsis hominibus rei maxime momentosae incuria, ut in quaslibet adeo, et fortuito casu oblatas, medicationes facile abripse patientur, nec, quibusnam valetudinum arbitris curandos se tradant, fere solliciti sint, "concrecentes saepe capita, cui (ut ille ait) calceandos nemo commiserit pedes": hinc statim exigua humanae genti spes relinquitur, salutis quidquam ex turbido tali fonte hauriendi.

Verum praeterea, quemadmodum, qui medicinam facientibus, ex recta et rationali disciplinarum medicinalium intelligentia, accrescunt fructus, certissimi sunt et in ipso artis exercitio saluberrimi (s); ita e contrario, qui ex temeraria medicorum et tumida speculandi vanitate progerminant, noxii adeo

(s) Quam caussam perorantem vide V. cel. G. van Doesveren, *de recentiorum inventis Medicinam hodiernam veteri praestantiorem redditibus*. Or. ed. Leid. 1771.

deo fiunt, et in praxi medica periculosi, ut,
 „ ex reputatis secum tristissimis, quae ex hoc
 „ fonte in artium praestantissimam invehantur,
 „ malis, non sine animi dolore, ” gravissimus
 in his rebus Judex ” quandoque dubium se ha-
 „ rere, ingenue declaret, plusne emolumenti,
 „ an noxae, humano generi medendi scientia af-
 „ ferat ” (t).

Atque hac duplici de causa, in aestimatione
 universi verique medicationum in republica pre-
 tii, impeditos maxime nos sentimus.

Neque hinc adeo, asperam illam, indignari li-
 cet censuram, qua jam olim, excellentis ille in-
 genii vir, Franc. Petrarcha, obscurioris sui secu-
 li Medicos, verbosa doctrina maxime turgentibus,
 notavit; amico, qui ad aegritudinem suam non
 vocasse se medicum indicabat, reponens, ” non
 „ jam se mirari, si cito convaluerit, cum re-
 „ ctior nulla sit aegro ad salutem via quam me-
 dico caruisse; — utpote qui duni naturae au-
 „ xiliarios se profiteantur, tamen contra natu-

E 2
 „ ram

(t) Sunt verba Cel. Gaubii, in Epistola ad Audit., p. 6.,
 praemissa *Inst. Pathol. med.* Edit. alt. Conf. his, quae in
 taja medicantium vitia quoque dixit Vir cl. J. D. Hahn,
 in *Oratione de Medico speculatoro*, passim; ed. Leid. 1775.

„ram ipsam et pro morbis militent; sintque
 „multarum quidem artium docti, solius tamen
 „indociles medicinae” &c. (u). Qualis qui-
 dem generis, omni tempore, in medicantes, ju-
 rene an injuria, liberaliter effusas accusationes si-
 vel nos dissimularemus, loquuntur tamen Veterum
 et Recentiorum scripta, satis omnibus nota.
 Hinc enim censorium illum Catonem doluisse
 legimus, ”irrumpere in orbem Romanum magno
 agmine medicos, atque utinam, inquit, medicos,
 et non medicorum sub insignibus hostes medicinae
 armatos” (v). Hinc Diaulum istum joco acer-
 bo perstrinxit Martialis, quod, ex chirурgo vel
 medico, scilicet, factus vespillo, non operam sed
 nomen mutavisset (w). Hinc, ut rem expediam,
 senioribus temporibus, tot acri stylo in medicantes
 scriptae satyrae, et fabellae theatrales; quamvis
 etiam ex odio personarum, ut fieri solet, saepe
 depromptae.

Cum igitur, ut hoc repetam, ita ferre vi-
 dea-

(u) *Epiſt. rerum ſeniliū Lib. V. Ep. 3. et 4. ſubjunctis
 Opp. edit. Venet. A. 1501. quibus add. Ejusd. Investi-
 varum in medicos, Libros IV.*

(v) Apud Plin. *Hift. nat. I. c.*

(w) *Libr. I. Epigramm. 31, et 48.*

deatur perpetua rerum humanarum et facienda quoque medicinae conditio, ut recto et salutari usui frequentem et individuum se jungat comitem turpis et terribilis abusus: anne ideo candore ingenuo dare et largiri nunc conducet, tantum abesse, ut collecta illa omnium medicinam facientium opera expediret reipublicae; ut simus facturi melius, si, eliminato, quantum potest, e republica omni medicinae, adeo scilicet anticipitis, exercitio, naturae prorsus committamus nostri conservationem et curam; mala saltim nostra passuri?

An vero praestare intelligimus.

Sed obmurmurantes audire hic mihi videor, qui, humanam recte probeque medicandi opem, dulceque ex ea aegrotationum suarum solatium aliquando experti, et de futura insuper valetudinis constantia incerti, salutiferi consilii spem ita sibi abreptam prorsus nolint; obmurmurantes, qui medicinam facientium utilitatem universam aboleri negent, eorum incuria vitiusque, qui artem sinistre vel temere adhibeant; atque, si vel tolleretur medicationis e republica exercitium, fieri tamen vix posse, ut omnium pessimae illae temerariorum medicationes prorsus arceanter; fore igitur, ut, suppressa tantummodo ve-

riorum medentium utili opera, non nisi ultimum calamitatum incrementum exspectandum sit his, qui sua interim, sine omni medicatione, mala perferre inopes recusent.

Et nihil profecto caussae esse videtur, cur, ab unde antea demonstratam, et contra aggressores assertam, verae Medicinae praestantiam, ignavi tandem et vecordes, prorsus abjiciamus, atque, abusus tanta jam gravitate presi, superstitem etiam usum eximium nobis perdamus totum! A qua in artem Medicam severitate eo longius quoque abesse nos oportet, AA., quum, qui suas Artes scientiarumve Disciplinas praeter Medicinam reliquas a multiplicibus abutentium et sinistre adhibentium noxis, magis quam nostram, praedicent liberas et immunes, haud reperiri facile credamus, ingenuae fidei ullos istarum doctrinarum professores (x).

Quodsi ergo ab inepte medicandi impetu prorsus non vindicari queat hominum malesana credulitas: sapientibus tamen integrum erit ab eo sibi

ca-

(x) Conf. quae hanc quoque in rem eleganti judicio exposuit Cl. J. de Rhoer, Crat. *de eruditione humana minus perfecta*. Gron. 1768.

cavere, atque omni opera in id incumbere, ut, quantum possit fieri, sublato terribili illo nocendi jure, non nisi verum et praeclarum medicinae pretium reipublicae restituatur illibatum.

Quo si quid conferre possit, quod adhuc ostendimus, bonas medicationes malis in republica facile praeponderari, equidem operae pretium mihi hac hora videbor fecisse.

Apertam proinde, ut brevibus nunc peroremus, et protervam illam medicastrorum et agyrtarum licentiam, plebi (utinam vero soli plebi!) adeo exitiosam, compescere et arcere, providae sapientique Magistratum curae sit commendatum, et sancte concreditum! Vestrum sit, AA., illaetabilem illam, quam tetigimus, rerum medicinalium curiositatem, solida quidem scientia prorsus destitutam, sed tristibus imaginationum figuramentis adeo foecundam, extinguere, et ab ancipiti temere medicandi pruritu ferio cavere. Conservandae autem valetudini, salubri, eaque facilius assequenda, victus idonea ratione prospicere; in abstinentiam promptiores esse; intemperantiae vero, desidia, et luxuriae certissima nocumenta cane pejus et angue vitare; ne quod brutis animalibus innatum videmus, in homine rationali

tur-

turpiter desideretur. Inepta porro decet male sedulorum medicandi consilia negligere; remedia prorsus incerta, ab imperitis, et arcanorum maxime nomine, enixe obtrusa, longe fugere. Medicos quoque jactantes, leves, et mox remediis armatos, temeritatis suspectos habere licet!

Tum vero in legitimam medicationem minime difficiles esse oportet, ubi valetudo laboraverit; sed faciles, et tempestivos; ne mala per longas invalescant moras, imo arte tandem plus valeant doctissima! In Medico autem potissimum requirite in arte peritiam, in facienda causa prudentiam, modestiam; tum maxime sensus illius medicinalis et judicii acunien, quod, solerti naturae speculatione assequendum, praestantiores veri Medici facultates constituere, nuperrime demonstravit Medicus perspicacissimus (y). Talibus denique virtutibus ornati viri consiliis fideliter obtemperare, ut aequitatis, ita sit religionis officium!

Equidem aut fallor vehementer AA., aut sic tandem egregie salva erit Medicinam facientium, optimo de Republica meritorum, res et auctoritas;

(y) Cl. Hahnii, in *Orat. de medico speculatore*, pag. 57--63.

tas; salva et tuta erit vestra spes, vestrum
desiderium!

Salva igitur nostra, quam agimus causa,
plaudite nunc, egregii Juvenes, arti Hippo-
craticae addiscendae & excolendae devota vel
devovenda carissima capita! Agite, erecto ani-
mo estote, et partes vestras serio urgete! Au-
divistis, indignabundi, illaetabilem Medicinae
sortem, sed quam non nisi facientium inepta in-
dole et vitiis experiatur. Intelligitis idcirco,
quid nostrum sit, qui curandae civium pretio-
sissimae saluti, sancte nobis olim concredendae,
laudabilem navare velimus operam. Agite, et
hanc provinciam integra fide tuituri, artis verac
praestantiam, et salubritatem animis vestris se-
rio versate; ad hanc, meritis vestris, acqui-
rendam, omni studio et toto pectore imcum-
bite. Hoc pacto, ubi causae, quam agimus,
vera dignitate instigati fueritis, dulcissima in-
vos manabunt olim laborum praemia; in qui-
bus nobilissima putate, quae praestiti diligenter
officii propriae conscientiae, tum quoque
sapientum aestimationi innascuntur, volubili illa
vulgi laudatione, omniisque auro, longe pretio-
siora.

fiora. Ita quoque currentibus calcaria admoveat antiquum illud:

Ιατρος γαρ ανηρ πολλων αιλαξιος αλλων.

Sed cum artem, adeo momentosam, tantoque labore conditam, adgredi, nisi recte initiatis, non liceat; innutriendo praeparantibus doctrinis animo improbam dare operam jam pergit. Hinc, non neglectis, quae animum ad humanitatem et virtutem forment, elegantiorum Litterarum et Philosophiae studiis; cognoscendis tum fani, tum morbos, corporis naturae causisque, ex Anatomicis, Physicis, Chemicis, Pathologicis, Therapeuticis investigationibus; adjungatis praefidiorum remediorumque sanitatis et morborum haud vulgarem scientiam, quam haurire licebit e fontibus Diaeteticis et Pharmacologicis, qui e Botanice et Chemia, tum vero ex doctrina Chirurgica quoque derivandi sunt.

Tali ratione feliciter formandi accedite nobilissimi Commilitones; utimini serio, quos suprema Academiae Cura, vestros in usus, constituit Disciplinarum modo commendatarum Professoribus. Apto autem utimini studiorum ordine; ita enim artem, quam aemulamini praestantissimam,

mam, haud experiemini difficillimam. His vero moderandis si utilem quoque meam existimetis operam, hanc vobis jam consecratam habete; meque adeo utimini praceptor, amico, studiorum vestrorum duce et socio. Atque ita, favente divino Numine, in aegrotantium spem et solatium virtute vestra macti estote!

Sed quo materia sermonis et dicendi impetus me praematurius abripuit, inde jam veneranda ad vos redit oratio, ACADEMIAE CVRANDAE MAECENATES, praepotentes et amplissimi Viri! quos in ea, qua me induistis, persona publice nunc salutare, jubet officii ratio, et actus hujus solemnitas.

Intellexistis autem, illustrissimi Proceres, quam de facienda et discenda Medicinae momentis mihi stet sententia; ex qua, quo sim animo erga demandatam a Vobis mihi provinciam, simul elucescat. Quam, praeterea, quanti fecerim, et aestimaverim, res ipsa demonstrat.

Qui enim haud mediocrem, sed optime stabilitam, fortunarum mearum in patria Civitate sedem reliquerim, et me meosque a Groningorum (dulce mihi semper nomen!) amoris, fa-

voris et necessitudinum vinculis dissolvi, imo, intimo cum dolore, avelli passus sim, ut in egregiam hanc, sed oculis nostris nunquam antehac usurpatam, Musarum migraremus sedem: eum, profecto, de oblata sparta haud tenuiter sensisse oportet.

Ita est generosissimi MAECENATES! Allexit me otium illud, quod Musis sacrandum semper desideravi, quodque, cum, infinita illa aegrotantium interpellatione, per quatuordecim et quod excurrit annos, mihi fere disperditum esset, in Academici Doctoris officio optime recuperatum iri, facile credidi. Allexit, et, commodissimam sedem commutare cunctantem, vicit, Vobisque me vindicavit perhonorifica, et benigno favore plena vocatio, qua in locum, celebribus Gorterorum, Haastenburgiorum, Oosterdykiorum nominibus clarum, me non tantum suffecistis; verum etiam, ut insigne Archiatri munus (quo in patria Civitate novo me exemplo condecoraverat impensa Senatus benevolentia) neque in hac Vestra Regione mihi deesset, in summo praepotentium Ordinum Confessu, qua estis gratia, impetravistis.

Suscipite igitur Academiae Vestrae, suscipite Regioni Gelro Zutphanicae, imo Vobis, aequae
ac

ac MAGNIFICENTISSIMO ACADEMIAE CVRATORI, REGIONISQUE GYBERNATORI, ex officio abhinc devotum, et grato animo devinctum hominem; cumque, ut tam luculentis, TANTORVM VIRORVM, in se propensi animi testimoniis, quod suarum partium sit, gratus rependat, omnes, sed eheu debiles, ingenii nervos intensrum, benevolenter vobis persuadete! Itaque vigete diu Viri MAECENATES; vigete, pariter ac Serenissimus ARAVISIONENSIVM PRINCEPS, PATRIAE ET ACADEMIAE PATRES, in Reipublicae, in Academiae salutem, in Vestrum, virtutum et Gentium vestrarum commoda! firmaeque tandem et placidae senectutis beatitudine, ex Medici voto, utimini, fruimini, quam plenissime!

Salvete autem Vos, Palladis sacrorum Antitites, Doctrinarum Religionis aequae ac Reipublicae emolumento cultarum Professores clarissimi, quos amico Collegarum titulo salutare, est mihi suavissimum!

Quem candido atque aperto in Vestri ordinis et amicitiae societatem jam recepistis animo; hunc justum credite virtutum, doctrinarum et

benevolentiae vestrae aestimatorem, id omni ope acturum, ne, ad quam Vos, tanta vestra cum laude et celebritate, incumbitis Academiacae reique litterariae salutem, huic per ipsius quid decedat ignoraviam! Vos modo collegam, quem ita erga Vos, et erga omnem hanc bonarum artium Officinam affectum experiemini, Vestro licet in Ordine novitium, tenuitatis tamen suae haud dissimulatorem, neque in antiquae fidei amicitia excolenda prorsus imperitum, vestris sustinet consiliis, auxilio, gratia. Quod Vos egregie facturos esse, experta jam satis vestra mihi persuadet humanitas; cui vero demerenda, uti ingenua fide, et cara mihi morum simplicitate, lubentissime studebo: ita ad alendam, si quid mea possint officia, ea Vestros in usus paratissima Vobisque adeo sacrata censete. Sic nobilissimo et utilissimo studio sociatos, irrupta porro nos teneat copula!

Sed et Nos maxime ea teneat, amicissime Forsten! qui initiandae AEsculapii sacris Juventuti sociam mihi dabis operam, et cujus praeterea institutionibus theoreticis, tamquam jactis fideliter fundamentis, faciendae medicinae praecepta superstruere, mearum praecipue partium erit. Itaque qui, etiam Populares, muneric insuper et col-

le-

legii necessitudine arctius nunc colligamur, tales abhinc nos praestemus utilissimi laboris confor-
tes, tales verae laudis aemulos, qui studiorum nostrorum copulationem diligenter ad rei Medi-
cae incrementum conferamus, et nostro adeo comprobemus exemplo, "virtutum adjutricem a
„ natura datam esse amicitiam, — ut, quoni-
„ am solitaria non possit virtus ad ea, quae
„ summa sunt, pervenire, conjuncta et conso-
„ ciata cum altera perveniret!" (z)

Ita vero, per laudabilem Discentium industri-
am ac modestiam; per nobilissimam Docentium
junctamque fideliter Collegarum operam; per
prudentissimam Maecenatum curam; et, quod
maximum est, per benignissimum Numinis su-
premi favorem, alma porro floreat Academia
Gelro-Zutphanica!

D I X I.

(z) Cicero *de Amicitia*; Opp. Vol. IV. p. 986. Ed. Ernest.

Vacuam paginam occupent
VERSICVLI HEBENSTREITIANI,
e Carmine
DE ANTIQVA MEDICINA.
ed. Lips. 1753.

*Siste tua tibi Medicum sub imagine verum,
Qui nihil efficiat, quod non ratione probetur,
Non praejudiciis ductus, non deditus ulli
Doctrinae, sola tantum novitate placenti.*

* * *

*Est sua cuique mali species, sua cuique medendi
Est methodus; sexus varians, variantia coeli
Sidera, gens, aetas, annus, mixturaque dispar
Vitalis liquidi, suadent diversa subinde;
Estque suo modulo metiri quemlibet aequum.*

* * *

*Dum tamen utilium Medicina scientia rerum
Exoptat, quam saepe nequit praestare, salutem,
Tunc voluisse sat est; satis est, si turbidus aer
Vela rapit, omni contra contendere nisu,
Nec, nisi post justos tandem succumbere nisu.*

A A N D E N

WELED. HOOGGEL. HEER

MATTHIAS VAN GEUNS,

ARCHIATER VAN GELDERLAND EN HOOGLEERAAR
IN DE BEOEFENDE GENEES- KRUID- SCHEI- EN
VERLOSKUNDE OP 'SLANDS HOOGE SCHOOL
TE HARDERWIJK:

OVER ZIJNE

I N T R É R E D E N,

*TER TOETSING, OF HET WERK VAN HUN, DIE
ZICH MET GENEESKUNST MOEIEN,
NUTTIG ZIJ VOOR DEN STAAT.*

Gij hebt gelijk VAN GEUNS, dat gjij de kunst verdedigt,
Uw kunst, der kranken troost, der wijzen eël vermaak!
Hij scheldt een hemelgaaf, die stout hare eer beledigt,
En wie haar zaak bepleit bepleit een goede zaak.
Men moog, zoo fijn men kan, zijn tegenreednen spinnen,
Men tooi haar op, met al wat schittert of bedriegt;
Het valt U zelfs niet zwaar, zoo goed een zaak te winnen,
Te toonen, zoo men haar te nasprekt, dat men liegt.

G

't Is

't Is waar, schier al wat leeft bemoeit zich met genezen.

Elk vriend weet, voor zijn vriend, in krankheid goed en raad.

Ja vroedvrouw, baker, min, 't wil alles dokter wezen,

En elk wagt bij 't gebruik van ieders middelen baat;

Zij ondertusschen zijn slechts zeldzaam, die hun krachten

Aan 't moeilijk onderzoek van kwaal en hulp besteen,

Die met omzichtigheid en trouw hun plicht betrachten,

In 't oefnen hunner kunst, ten dienste van 't gemeen!

Wat haalt dan 't nut, dat we ons van kundige Artsen spellen,

Bij 't nadeel dat de Staat bij brekebeenen lijdt,

In wie de groote hoop toch 't meest geloof zal stellen?

Helaas! — Maar dit verstrekt de kunst tot geen verwijt.

Elk zie, van wien hij hulp in zijn ellenden borget!

Al wie onkundig is vermeet' zich 't raden niet!

Terwijl 's Lands hoogste Magt voor kundige Artsen zorge,

En de oefning van de kunst den weetniet streng verbiedt.

Zoo volg men 't voorbeeld na, dat we ons in U vertoonen;

Daar GRONINGEN uw dienst zoo sterk aan zich verbond,

En daar ons GELDERLAND U zogt tot zich te troonen,

Door eer- en gunstbewijs dat naauw ooit weerga vond.

Dan

Dan heeft de Staat geen scha van artsenij te vreezen,
Dan dient de kunst 't gemeen met hulp en wijzen raad.
Dan worden zij die zich bemoeien met genezen
Altoos tot voordeel nooit tot schade voor den Staat.
Wij hoorden U met smaak uw voorstel klaar betogen.
Hoe juist was elk bewijs, dat Gij te voorschijn bragt!
Wat had uw nette taal op ieder groot vermogen!
Wat was de werking sterk van uwe zeggenskracht!
Geluk, mijn oude Vriend! God wil uw poging sterken,
Tot nut van't algemeen; uw huis; uw vrienden; mij!
En geef dat Gelderland, door uw gelukkig werken,
Met Artsen, U gelijk, alom gezegend zij.

AHAZ. VAN DEN BERG,
Pred. te Barneveld.